

De acupunctura : dissertatio inauguralis medica ... / auctor C.A. Ludovicus Scheider.

Contributors

Scheider, Karl August Ludwig.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Form. Brüsckianis, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bhv8ys8d>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DE *Dr. A. 441*

ACUPUNCTURA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXV. M. MAI A. MDCCCXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

C. A. LUDOVICUS SCHEIDER

WITTSTOCHIENSIS.

OPPONENTIBUS:

G. GIESELER, MED. DR.

F. MEISSEN, MED. DR.

ADLER, MED. DD.

Accedit tabula lithographica.

BEROLINI

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.



A 32

sche

Schn

leh

Dr. A. C.

10/1

V I R O

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO, AMPLISSIMO
EXPERIENTISSIMO

I. N. R U S T

REGI A CONSILIIS IN RE MEDICA SUPREMIS AC MINISTERIALIBUS, CHIRURGORUM MILITARUM REIQUE MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI SUMMO PRAEFECTO; MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. O. UNIVERSITATIS BEROLINENSIS ET ACADEM. MILIT. CLINICI CHIRURG. OPHTHALM. INSTIT. CHIRURG. ET OBSTETR. IN NOSOCOMIO CARITATIS DIRECTORI; MILIT. EMERIT. MEDICO PRIMO, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE ET CRUCIS FERREAE, NEC NON ORDINIS ST. ANN. IN GLASSE SECUNDA EQUITI COLLEG. EXAMIN. MED. PRAEF. COMPLURIUMQUE SOCIETAT. LITTERAR. SODALI ETC. ETC.

P A T R I

OPTIMO ATQUE DILECTISSIMO

G. S. B. SCHEIDER.

PIA GRATAQUE MENTE

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Quemadmodum multa medicamina aliaque promta in auxilium morborum a medicinae patribus celebrata, postquam per longum temporis spatium perperam oblivioni data iam pridem exoleverant, a posterioribus tandem denuo in usum merito revocata sunt; sic et Sinarum Iaponumque acupunctura per saecula adeo a nobis flocci facta, ut ne ullus quidem unquam medicinae cultor Europaeus eam exercuisset, recentioresque chirurgiae auctores eius vix ac ne vix quidem mentionem fecissent, novissimis demum temporibus a nostris medicis recte tentari coepit. Experimenta haec a nonnullis Franco - Gallis Anglisque instituta omnino probant, hancce operatiunculam multis morbis, iisque gravioribus, praesentaneam neque mediocrem attulisse opem. Quae cum ita sint, operae pre-

tium fore credidi, si, quae hucusque hac de re innotuerint, dissertatiunculam inauguralem maiorum more conscribens, sic collaturus sim, ut in priori huiusce tractatus capite, quae antiquiores auctores de illarum gentium acupunctura scripta reliquerint enarrem, in altero, quae hodie in lucem edita sint nostratium pericula, breviter indicem.

Scriptorum, quibus usus sum, enumeratio.

1. Wilh. ten Rhyne, Mantissa schematica de acupunctura ad Diss. de arthritide. Lond. 1683. P. 145.
2. St. Blancard, Eigenliche Abhandlung von dem Podagra und der laufenden Gicht, nebst des Herrn W. ten Rhyne Beschreibung, wie die Chinesen vermittelst des Moxa - Brennens und güldenen Nadelstechens alle Krankheiten, insonderheit aber das Podagra curiren. Leipzig 1697. pag. 316.
3. Bidloo, Dissertatio de puncto. Lugd. Bat. 1709.
4. E. Kaempfer, Amoenitatum exoticarum politico-physico-medicarum fasciculi quinque. Lemgoviae. 1712. p. 582. Obs. XI.
5. Nenter, fundamenta medicinae. Tom. 1. Praxis specialis, Argent. 1718. p. 165.

6. L. Heister, Chirurgie. Nürnberg 1743. p. 428.
Tab. XII. fig. 6-7.
7. I. Bontius, De medicina indica. libr. IV. Lugd.
Bat. 1718.
8. Duiardin, Histoire de la chirurgie. T. I. pag.
95. fig. 1-4.
9. Halleri disputationes ad morborum historiam
et curationem. Tom. VI. p. 766. Lausannae
1758. (Fürstenau et Paxmann spicilegium ob-
servationum de Indorum morbis et medicina.
Obs. XV.)
10. Kaempfer, Geschichte und Beschreibung von
Japan. Lemgo 1779. Bd. II. S. 423.
11. Modern, part of an universal history, from
the earlist account of time, T. IX.
12. Dictionaire des sciences medicales. Paris 1812.
T. I. p. 149. (Bedor.)
13. Berlioz, Memoires sur les maladies chroniques,
les evacuations sanguines et l'acupuncture.
Paris 1817. q. 296. etc.
14. Journal universel des sciences medicales.
Paris 1819. Tom. XIII. p. 28. (notices sur l'
acupuncture et observations medicales sur ses
effets therapeutiques par Ms. Haime p. 35. Bre-
tonneau.)
15. Annales de la societé de medicine pratique de
Montpellier. Serie 2. T. 3. p. 177. (Haime.)
16. Journal universel des sciences med. Tom. XV.

- p. 107. Paris 1819. (Notice sur l'acupuncture, et sur une nouvelle espèce de ventouse armée des lancettes, inventée par A. P. Demours.)
17. Recueil period. de la société de médecine de Paris T. 66. (Serie II. T. 5. pag. 161) (Observ. sur les bons effets que l'on obtient par la reunion de l'acupuncture et de l'application d'une ventousse par Demours.)
18. Ibidem T. 66. (Serie II. T. 5.) p. 377.
(Seconde notice sur l'acupuncture, ou introduction de l'aiguille, sans que la ventouse soit retirée, a travers la portion du tissu cutané, soulevé par cet instrument. Par Demours.)
19. v. Froriep. Notizen aus dem Gebiete der Natur und Heilkunde. Bd. II. N. 17. 1822.
20. I. M. Churchill, a treatise on acupuncturation being a description of a surgical operation originally peculiar to the Iaponese and Chinese, and by them denominated Zing - King etc, London. 1821.
21. Dasselbe deutsch: I. M. Churchills Abhandlung über die Acupunktur. a. d. Engl. von I. Wagner. Mit Vorrede und Zusätzen von I. B. Friedrich. Bamberg 1824.
22. London medical Repository, Mai 1823. (Churchill.)
23. Ibidem. April 1822. et Novbr. 1823. (Finch)
24. Graefe und v. Walther. Journal für Chirurg-

- gie und Augenheilkunde, Band 5 Heft 4. Berlin
1824. p. 721. (Michaelis.)
25. Zang, Ch. B. Darstellung blutiger Operationen. Th. III. Abt. 1. p. 290. Tab. I fig. 1. 2.
26. Vitet, *Medicine veterinaire*. Tom. II. p. 65.
27. Sabatier, *Medicine operatoire*. Tom. I. p. 11.
28. Mémoire sur l'acupuncture suivi d'une serie d'observations recueillies sous les yeux de Iules Cloquet par Morand. Paris 1825.
29. *Revue médicale française étrangère et iournal de clinique de l'hotel de Dieu et de la charité*. Paris 1825 Janvr. pag. 75. — Fevrier pag. 309. — Mars pag. 471.
-

C a p. I.

De Sinarum Iaponumque acupunctura.

Sinarum Iaponumque acupuncturam primi quidem, quod sciam, inter Europaeos, at brevius strictimque nimis, commemorant M. Martinius (in sua historia Sinica); et Iac. Bontius (in lib. V. hist. suae natur. Cap. ultimo.), qui his utitur verbis: quod autem in Iaponia narrabo fieri, miracula ipsa superat: in doloribus capitis antiquis, in obstructione hepatis et lienis, in pleuritide quoque perterebrant Stylo argenteo, aut ex chalybe confecto (?), non multo crassiore, quam cythararum chordae esse solent, transadigendo paulatim et lente praedicta viscera, ut altera parte stylus exeat (! ! !)

Plura, eaque probabiliora de hac inter istas gentes celebrata operatione tradiderunt W. ten Rhyne atque E. Kaempfer, ex quorum commentariis deinceps enarranda potissimum depromere liceat.

Acupunctio atque combustio moxae (turundae volutae ex herba regii nominis Artemisia) prima-

riae sunt apud Sinas et Iapones operationes, quas et ante artis medicae usum inventionemque, ab omni antiquitate per Coream, Sinam, Iaponiam claruisse, triga illa gentis sancte profitetur, pertinacissima antiquitatis sectatrix. 1)

Sunt etiam aliae, praeter dictas, nationes, quae in consimilibus quibusdam casibus tali fere acu, sed minori cum dexteritate, utuntur, uti incolae Arracan et magni Indostan regni. Memorat etiam obiter de hac acupunctura Bontius (in med. Ind). 2)

1) Persuadet Martinins (l. c.) Iapones a Sinensibus medicis acupuncturam esse mutuatos. — Nuperrimis temporibus Berlioz operationis huius apud istas gentes originem (alta caligine certe sepultam!) sic collustrare satagit. Gentes, inquit ille, zonam torridam incolentes militiam sequi nudas, atque, ut se invicem dignoscerent, varias corporibus suis notas insculpere solitas esse. Casu factum esse, ut cutis punctiones locis forte dolentibus obtingerent, doloribusque inde mitigatis, hanc acupuncturam postmodo et in aliis similibus morbis de industria adhiberi coepisse. Quem morem, cum a reliquis nationibus postea esset relictus, a Sinensibus et Iaponibus solis, morum scilicet maiorum suorum tenacissimis, servatum esse. Haec explicatio an mere fictitia sit, an veritatis aliquid habeat, in medio relinquam necesse est.

2) Cum acupunctura hic forsitan confunditur alia quaedam chirurgica operatio, ab Indis, si Fürstenau fidem habeamus, ad sanguinis detractionem eum in modum adhibita, ut vitri fragmenta, quoad sanguinis iustam

Sinis et laponibus medici tripartitim discernuntur. Primus dicitur Phondo, qui proprie internis morbis medetur; secundus Xinkieu, qui acupunctura et inustione medicinam facit; tertius Baksieu Sinkai, qui oculorum vitia curat.

Acupuncturam tanti faciunt Iapones, ut in peculiarem artem inter illos redacta sit, quam qui exercent, Farritatte i. e. acupunctores (Farri enim laponice acum designat), si vero insimul inustionem cum artemisiae stupis, ut plerique assolent, adiungant, Earrawyts tensas laponico, Sinico idiomate Xinkieu appellant, 3)

copiam elicerent, malleoli impulsu in corpus adigerent. — Neque minus Indorum occidentalium sanguinem mittendi ratio, cuius Wafer meminit, ab hac operatione longe recedit. Desidet enim in medio rivo, lapide inixus, aeger, cuius dein variis corporis partibus sagittarius aliquis peritus sagittulas infert sic fabrefactas, ut ultra cutem vix penetrent atque modicum tantum sanguinis cursum, incisis venis, contrahant.

- 3) E. Kaempfer aliter enarrat: Singularis, quam urendorum et pungendorum locorum gnaritas constituit, artis chirurgicae magistri appellantur Tensasi i. e. tangentes (Phondo, quos habet ten Rhyne?) puta exploratores locorum; nam in locorum delectu cardo totius negotii repositus est. Qui ipsam rem manu exercent Tarrittate audiunt, i. e. acupungentes, sive ex suamet notitia, sive ad tangents iussum id faciant.

quorum aedes hac nota dignoscuntur; in vestibulo domus ex ligno ad humanam similitudinem sculpta stat imago, in qua acu pungenda et inuenda loca artificiose delineata sunt. Quippe illorum doctores medici nonnisi necessitatis tempore (in difficilibus morbis) vel apud maiorum gentium aegrotos has operationes ipsimet absolunt.

Venae sectionem Sinae et laponas exsecrantur, quoniam, ut existimant, cum vitioso laudabilis quoque effunditur venarum apertura sanguis, tantumque vitae fundamini subducitur, quantum sani sanguinis detrahitur; quapropter sanguinem sua a colluvie solummodo mundare satagunt, maxime autem a flatibus (qui in omnibus quae corpori accidunt, principes autores et domini sunt) quos idcirco moxae combustione et acupunctura (praecipuis laponicae chirurgiae capitibus) exantillare et dispellere student.

Acus autem, quae puncturam praestat, nonnisi ex auro argentove (nunquam ex alio metallo) conficitur, eoque purissimo, omnis cupri experte et ductili; hinc, ne sua molitie operam eludat, singulari arte indurari debet, quam vero artem nec quisque callet, nec qui callet, acus tamen fabricare audet, nisi imperatorio diplomate nactus licentiam. Fabrefiunt optimae acus in insula Corea, et in laponiae emporio Kio sive Miaco

praestantiores veneunt. Duplicis, teste Kaempfer, sunt structurae: prioris, (quas et ten Rhyne descripsit atque depinxit) quae ex utroque metallo promiscue fiunt, longitudinem obtinent quatuor unciarum, tenuitatem mediocrem apice tenuissimo desinentem, manubrio instructae in modum cochleae circumflexo, quo torqueri possint (vid. fig. II.) Pro reconditorio eis adiungitur malleolus, ita aptatus, ut utroque manubrii latere singulas acus recipiat. Malleus ex uri cornu perpolite constructus est, ipsa acu paulo longior, capite orbiculato et compresso, cui pondus conciliat inclusum plumbum, alterutro latere, quod pulsui dicatur, aluta violacei coloris obducto, ne ab acu in feriendo desiliat (fig. III.) Aliter ten Rhyne describit eiusdem usus malleolum: fit ex ebore, ait, ebeneo vel alio duriore ligno. Eius orbiculus utrinque laevis, vel foraminulis leviter ac tantum superficie tenuis exsculptus, quibus superior acus pars queat excipi. Illius manubriolum sinu excavatur, quo conditur acus, sericeo circumvolvenda lora-mento, vel annulo firmanda. (vid. fig. I.)

Alterius ordinis acus (quae speciali gaudent appellatione Fineri Barri) semper argenteae sunt; structura illis parum est diversa, longitudo eadem, cytharoedicae chordae tenuitas, manubrium non nihil densum, breve et in longitudinem striatum. Recondi solent incerto numero

plusculae intra capsulam oblongam quadratam ligneam, vernice exterius, interius panno intonso obductam, cuius eminens lana leviter insertas recipit (Fig. IV.) Huic acui, si in operatione, quod frequenter fit, aenëus canaliculus iungatur, Fuda barri i. e. acus canaliculata dicitur. Est ille canalis acu sua paulo brevior circiter lati digiti tertia parte, pennae anserinae crassitie, in id factus ut per eundem acus ad puncturae locum dirigatur, ne in operatione hallucinemur.

Chirurgia puncturae instituendae haec est: cuspidem sinistra recipiunt, inter digiti medii apicem et iudicis, pollice suffulti, unguem; ita comprehensam admovent loco pungendo, tactu a nervis prius distincto et delecto, tum malleo dextra recepto, acum uno aut gemino pulsu per externam cutem, duriusculam illam, adigunt; hinc deposito malleo, manubrium acus, intra primorum digitorum apices volvendo, cuspidem ad requisitam ex lege artis profunditatem ingerunt, plerumque semiuncialem, rarius pollicarem vel maiorem, verbo, ad usque doloris laticem: hunc assecuti, ad respirationem unam et alteram, acum infixam tenent; mox acu extracta, locum digito premunt, quasi spiritum hac via expressuri. Posterioris acus immissio fit sola eiusdem rotatione, intra pollicis mediique digiti apices. Quibus satis versata manus est, pulsu indicis, supra medium

digitum positi et in acum excussi cutem prius pertundunt, quam acum torqueant: alii in excussione illa utuntur, quod dixi, adminiculo tubuli, obstantis, ne fortiori pulsu acus debito profundius imprimatur. Leges punctoriae artis variae sunt, flatus laticem, in quantum cum ratione hic agitur, praecipue spectantes: unde in operatione instituenda et locus et profunditas punctionis a tangentibus medicis cum ratione sunt determinanda. Acus affecto loco (communiter ad lati circiter digiti profunditatem) leviuscule imprimenda; excipiuntur quaedam capitis vitia, in quibus ad ipsum cranium acus aliquando infigitur; item aliquae uteri affectiones (praesertim ubi perverse se versat cum matris debilitate foetus,) in quibus ipsa matrix nonnunquam perforatur. Acus triginta respirationum spatio (h. e. inspirationum et expirationum una comprehensarum; illa enim tempora computandi ratio apud Sinenses et laponenses medicos usualis est) in parte puncta detineatur, si facile ferat aeger; sin minus, eximatur denuo, et de novo iteretur punctura, vel ter vel quater, quandoque etiam quinquies sexiesve, si facile ferat aeger et morbus sit tenax.

Dum acupungitur, aegrotus ieiuno sit stomacho. Si morbus sit gravior, pungito profundius Adultos, quam adolescentes, senes quam iuvenes pungito altius. Pingues qui sunt et carnosius, pun-

gito profundius; ~~le~~ diverso qui teneri. Loca nervosa (nimirum quibus vel insignes nervi, vel musculorum tendines, vel nervosa ligamenta e directo subiacent; id enim caute observant acupunctores) pungito levissime, carnosae profundius.

Acupunctura imprimis infimi et supremi ventris morbis inservit. Caput pungito, cum cephalalgia, sopore, epilepsia, ophthalmia, aliisque (a malignis flatibus ortis) infirmitatibus affligitur. Abdomen pungito in colico dolore, dysenteria, anorexia, affectione hysterica, corporis a crapula perturbatione, artuum doloribus et ventris. Uterum gravidæ acu pungito, ubi foetus ante iusta partus tempora nimio opere se movet, unde horrendos sentit mater dolores, ut saepe in discrimine vitae versetur; pungito autem foetum ipsum acu longa et acuta, ut punctura terrefactus ab enormi et periculi pleno motu desistat. Qui naturæ sunt debilioris, in abdomine, qui vero fortioris in dorso (vel lumbis, si res ita ferant) acupungantur. Ubi pulsus vel vix vel difficulter sentitur, acupungantur brachia iuxta venas.

Praeter dictos morbos, acupunctura sequentibus malis adhibetur, videlicet vertigini, apoplexiae, spasmo cynico, tetano, nervorum convulsionibus, melancholiae hypochondriacae, oculorum lippitudini et suffusioni, gravedini ac rheumatismo, arthritidi (imprimis vagae: vera enim profunde nimis deli-

tescit, ut ad ipsos flatus, arthritidis autores et dominos, acus, nisi magno cum incommodo penetrare nequeat,) gonorrhoeae, febribus intermittentibus simul et continuis, intestinorum lumbricis et ex iisdem orto dolori, diarrhoeae, cholerae morbo, imprimis vero passioni colicae aliisque ex flatibus natis intestinorum malis, lassitudini spontaneae ex flatibus itidem ortae.

Acupuncturae insignis usus esse dicitur in colicae specie (laponibus Senki vel Sinki dicta) quae insulis populosissimi imperii laponici endemia et adeo familiaris est, ut e decem adultis raro unus sit, qui eadem aliquando non laboraverit. Habet hoc singulare patrius morbus laponiae, ut ad hystericæ passionis exemplum persaepe suffocationem hospiti suo machinetur, convellendo totam regionem ab inguine ad usque costas spurias vel mucronem; deficiat vero, ubi diu saeviit, in tumores hic illic in corpore promiscue nascentes; nonnunquam epilogum ludat teterrimum; in viris quidem grandi altertrius testiculi tumore non raro in fistulam suppurante, in foeminis vero foeda caterva tuberculorum, in ani vulvaeque labiis nascentium, quam capillorum plerumque comitari amat defluvium. Anticolicam puncturam suam celebrant Iapones in epigastrio; in quo novem omnino punctiones ternaria serie et ad quadrati parallelogrammi normam instituunt, interce-

dente inter singulas punctiones (in homine adulto) gemini pollicis transversi spatio. En schema ipsum:

. . .

. . .

. . .

Hi ordines in artis punctoriae schola distincto nis gratia propriis donantur ut praeceptis, sic nominibus. Primus, Sioquam dictus, proxime sub costis instituitur; alter, Tsiuquam nuncupatus, medium sibi locum vindicat inter umbilicum et cartilaginem mucronatam; tertius, Gecquan dictus, semiuncia supra umbilicum absolvitur. Ad hanc triplicis ordinis punctiorem, ex praescripto magistri profunditate legitima celebratam, plerumque subito, velut incantata, cessant Senki nominis tormina.

C a p. II.

De Europaeorum acupuncturae periculis.

Ad tot mala debellanda venditatem acupunctionem, quid mirum, tamdiu a nostris medicis vanitatis adeo suspectam esse habitam, ut post ten Rhyne, Bidloo, E. Kaempfer et Vicq d'Azyr, alii medici, uti Heister, Duiardin, Nenter, obiter

tantummodo eius mentionem facerent, reliquos autem chirurgiae auctores de ea memorare taederet? In Gallia tandem, adhinc annos paucos, operatiuncula haec magis probari excolique incepit, auctore Berlioz, qui eam, tanquam remedium praesentaneum promptumque, de meliori nota commendavit:

1. In affectionibus mere nervosis. Hae enim quaternis quinisque acupuncturis ex toto cedebant. Sub prima acus immissione malum, mutata sede, subinde in alias transibat partes, acu tum proseguendum. — Summam huius operationis utilitatem idem auctor expertus est

2. In doloribus rheumaticis absque ullo inflammationis vestigio, qui rigore potius partisque affectae frigore stipati sedem saepius mutare, sub tempestatum vicissitudine intendi atque diaphoreticis excitantibus, narcoticis, victuque diaphoretico alias solebant debellari. Quibus aegris in musculos respirationi inservientes transierat rheumatismus, spirandi difficultatem, tussim doloresque punctorios inferens, hos, auctor ille perhibet, a se intra scripulum horae primarium unum alterumve ex integro esse sanatos: musculos pectorales movendi facultas statim ab operatione redibat.

3. Neque doloribus gravissimos labores excipientibus acus sine fructu admovebatur. Neque

minus acupunctureae usus eidem auctori egregie cedebat.

4) In contusionibus et ecchymosibus, luvenis aliquis, qui ex altitudine X-Xllve pedum lapsu lapidum cumulo vehementer impactus, tota corporis sui posteriori parte tantopere contusus erat ut omnes artus immobiles redderentur, XI acupunctureibus cervici adhibitis, elapso horae dimidiaae spatio, facultatem caput sponte movendi recuperavit. Postero die, diversis corporis partibus acu punctis, illico aeger in lecto volutari potuit, atque brevi post ex integro convaluit.

5. In cephalalgia nervosa, capitisque eo dolore, qui febris intermittenti accesserat, acus quoque opem tulit eximiam.

6. Rustico alicui, per mensem iam vehementi tussi convulsiva et epigastrii doloribus vexato, in hac regione Berlioz acum ad eam profunditatem adegit, ut sibi persuasum fuerit, ventriculum ipsum perforatum esse. Acu in parte puncta V Scripulos horae primarios detenta, statim aeger ex integro sanus evasit.

Acu utebatur Berlioz chalybea, longitudinis trium unciarum, capitulo cereo instructa. De acupunctureae effectu hunc in modum effatur: videtur, inquit, acus irritare nervos, hisque principium quoddam doloribus abolitum redintegrare(?)

Dissuadet hic auctor acupunctuream in omni

inflammatorio statu atque in sanguinis congestione partes pungendas obruente.

Si sanguis ex puncta parte stillat, nihil iuvat operatio, alibi de novo iteranda, cura semper insimul adhibita, ne insigniora vasa nervique acupertundantur.

Multum quoque operae in punctoria arte collocavit Haime, hasce observationes promulgans:

1. A. Boubard, femina XXX annorum, rheumatismo thoracis vehementi correpta, dein remediis quibusdam ingestis intra biduum sanata, sex septimanis post denuo eodem prehensa est malo, eoque adeo gravi, ut omne periculum profundius paulo spirandi aegrota horreret. Pluribus remediis absque ullo levamine adhibitis, ad acupuncturam venit. Statim ab acu proxime sub costis spuriis impressa, dolorem sentit aegra in inferiorem ventrem transire, ubi trium unciarum longitudine acus ad profunditatem uncialem iterum adacta et per v. Scripulos horae primarios detenta dolorem et illinc fugat. Fit tum altera tertiaque, quo dolor transibat loco, acupunctura, quam dolorum plenā evanescencia somnusque tranquillitas excipit. Postero die dolores mitiores redibant; inde operatione per quatuor adhuc dies celebrata, aegrotae obtigit valetudo integerrima.

2. Feminae alicui, dolores rheumaticos articuli humeri vehementes querenti, Haime acum

inter muscoli tricipitis fibras adegit. Inde dolor in antibrachium, atque hinc, altera acupuncture instituta, in manum propulsus, post tertium punctum ex toto compescebatur.

3. Puella aliqua a biennio ex menstruis irregularibus vomitu laborabat spastico, ad quem convulsiones vehementes accedebant omnem hucusque curationem eludentes. Medio epigastrio acupertuso, subito, quasi incantati, ex toto abibant cruciatus. Cum operatio nullos moveret dolores, acus ad dimidiam suae longitudinis, ad altitudinem puta XII, XVve linearum, infixam haerebat per V. scripulos horae primarios. Postmodum, doloribus aliquoties, at multo mitioribus, redeuntibus, cura ad priora revolvebatur. — Ad capitis convulsiones sedandas muscoli cervicis acupforabantur; masseter itidem, ad oscitationes continuas; antibrachio admovebatur acus, convulsionibus [hic conspicuis: iisdemque armis tantisper exturbabatur malum, dum ex toto cederet.

Haime rarissime observavit, sanguinem ex punctis locis promanare. Dr. Bretonneau, quidnam discrimen inferret singulorum viscerum perforatio, ut certior fieret, pericula fecit in catulis, unde patet, cerebrum cerebellumque, cor, pulmones, ventriculum [etc. omnino absque vitae discrimine transigi acuposse. In uno tantummodo percussi cordis casu postmodo extravasatum in

pericardio sanguinem reperit; perfossa quoque arteria quaedam multum sanguinis fudit, qui tamen fluxus, simplici pressione admota, facile sistebatur.

Demours quoque acupunctureae probavit utilitatem, persuadens, hanc operationem in pneumonia potissimum prodesse, quinquies sexiesve acum musculi supraspinati fibras transadigendo. Quin ipsam amaurosin incipientem se acu sanavisse perhibet.

Idem auctor novum acupunctureae apparatus inventum dedit, cuius haec est conditio. ¶Ad partis pungendae sensilitatem diminuendam, huic cucurbitula imponitur vitrea, suctorio instructa tubulo, qui, aere pistilli cuiusdam ope exhausto, refigitur (cochlea, quam habet, soluta) reponiturque, vitro inhaerente. Ab apice vitri usque ad partem suctam descendit canaliculus aeri impervius, qui manubriolum acus exacte aptatum excepit.

Acus ipsa, longitudine tripollicari, dein ad iustam altitudinem imprimitur. (vid: Fig. V.).

Novissime acupunctura a multis magni nominis medicis Parisiensibus, imprimis ab I. Cloquet, non sine fructu tentata est variis in morbis, uti in cephalalgia, hemicrania, rheumatismo, luxatione spontanea, ophthalmia chronica, hematemesi periodica etc.

Huic Gallorum experientiae Anglicorum quo-

que haud mediocris nominis medicorum observationes respondent.

Anglorum, teste Churchill, primus hanc operationem in usum vocavit Scott, ipse ab amico suo (Iukes, chirurgus et obstetricatore) acupunctatus. Frigore enim ille laesus, lumborum doloribus prehendebatur citra febrim tam vehementibus, ut lecto affixus moverique nescius iaceret. Cucurbitula imponitur dorso inter secundam vertebra lumbalem et musc. latissimum dorsi, dextra parte. Acus, cum primum ad pollicis longitudinem penetravit, cuspidē suā sensationem movit, quasi admoto filo metallico scintilla electrica ex aliquo corpore eliceretur. Quae sensatio postquam per scripulum horae primarium perstiterat, dolor subito in regionem iliacam dextram transiit. Duabus et hic loci acubus admotis, dolor mitior iam factus abiit in posteriorem pectoris partem, prope angulos spuriarum costarum sedem fixurus, quem denique acupunctio denuo repetita ex toto profligit.

Nuperrimis temporibus Churchill de acupunctura optime meritis, hos casus, acus virtutem probantes prodidit.

1) G. Haughlan, caementarius, XXX annorum, a triduo dolores lumborum acerbissimos questus, pulsu aliquantum iusto celeriori, in regione lumbari dextra punctus est acu, longitudi-

nis sesquipollicaris. Elapsis horae scripulis II, mitescere incepterunt dolores, qui, postquam acus sex scripulos horae primarios infixi hæserat, ex toto evanuerunt. — Idem obtigit

2) alii agro, lumborum doloribus item cruci-
ato, nisi quod postero die ad dolores penitus fu-
gandos operatio iterari debuit.

3) In aegra aliqua, ab aliquot inde annis
rheumatismo vago, oppressione pectoris|spiritusque
difficultate et doloribus thoracis punctoriis infes-
tata, Churchill acum adegit inter sextam et sep-
timam costam, alteramque acum inter VIIam et
VIIIam, dextra parte. Duobus scripulis horae
primariis post moliri dolor coepit; praeterlapis
horae scripulis sex omnis hinc dolor decessit. Ad-
mota tum sinistro lateri acus non [aeque promte
quidem iuvabat, tamen, punctione tribus vicibus
repetita, aegra evadebat sana.

4) H. Howard, ancilla, [rheumaticis doloribus
iam diu vexata, thoracis rheumatismo prehensa
est. Acus inter octavam et nonam cartilaginem
costalem torquendo impressa illico spiritum red-
debat faciliorem. Dolores iam in posteriori thora-
cis parte resurgentes, acu et hic immissa atque
per sex scripulos horae primarios detenta, item
componebantur. Postridie eius diei dolores ad an-
ticam pectoris partem reversi, acupunctione denuo
repetita, ex integro profligabantur.

Churchill ad hanc operationem perficiendam usus est acu satoria vulgari, longitudine pollicari vel sesqui pollicari, ex chalybe confecta et manubriolo eburneo istructa (vid. Fig. VI.) Acus haec intra pollicis indicisque digiti apices volvendo lente paulatimque loco affecto imprimitur et per quinque sexve scipulos horae primarios in puncta parte detinetur. Solet is medicus semel tantum singulamque in singulis aegris acum adhibere, nisi vitium ad plura organa musculosve pervagatur.

Praeterea in Anglia acupuncturam in usum vocavit Finch, chirurgus Londini:

1) In anasarca. Nonnullis acupunctionibus utrique pedi inflictis, aqua emissa est; at aeger an convalesceret, non indicatur.

2 In viro aliquo, qui trismo vulneribus accedente torquebatur. Acu in masseterem dextri lateris vix adacta, subito spasmus remittebatur; tum et sinistro lateri operatio adhibita hinc quoque spasmus tollebat. Aeger iam os aperire, potumque theobromaticum sorbere atque largam opii dosin sumere poterat. Trismus non revertebatur atque aeger ex integro sanus evadebat.

In Germania solus, quod sciam, Michaelis acupuncturam Berolini exercuit. Tentavit eam in matrona tenui et ad sanguinis sputum prona, quae rheumatismo ad regionem sinistrae scapulae, pluribus remediis adhibitis debellari nescio, laborabat. Acum, quali Churchill usus erat, infra scapulam prope dorsi spinam, dum dolor recrudescente inceperat, ad profunditatem semipollicis adigit eamque per V. scripulos horae primarios in puncta detinuit. Dolor hinc in alterutram transibat coxam, ubi acu itidem infixam, morbus ex toto compescebatur.

Non aequè commode acus abmovebatur pedibus oedemate occupatis. Puncta exiliora erant, quam ut aquam ibi congestam fundere possent.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS UNIVERSITATIS
BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Carolus Augustus Ludovicus Scheider, evangelicae confessioni adscriptus, die undevicesimo mensis Iunii anni millesimi septingentesimi nonagesimi sexti Wittstochii, oppido Prignitiae, natus patrem carissimum G. S. B. Scheider veneror, matrem Henriettam e gente Baldenius, praematura **morte** mihi ereptam, lugeo, Primis litterarum rudimentis a viro Spectabili Homberg, rectore scholae Wittstochiensis instructus sum; et iis doctrinis, quae ad studia academica viam nobis muniunt, in Gymnasio Friderici Guilelmi Neo-Rupini, Directore Doctissimo Thormeyer, per biennium imbuctus sum. Bello sacro a. MDCCCXIII incepto, omnique Borussica iuventute ad arma ruente, gymnasium linquens copias in campum secutus sum. Pace reconciliata, ad penates paternos redux a Beato Goerke anno MDCCCXIV in numerum alumnorum instituti militaris medico-chirurgici, quod Friderici Guilelmi nomine insignitur, receptus sum, atque septem per semestria praelectionibus sequentibus Virorum Perillustrium et Celeberimorum, quorum gratam memoriam nunquam ex animo meo dimittam, interfui:

Apud b. Kiesewetter Mathesin, Logicen, Hodegeticen, Ethicen et Psychologiam, Cel. Hayne et Ill. Link Botanicen, Cel. Lichtenstein Zoologiam, Cel. Turte Physicen, Chemiam et Pharmaciam, Ill. Rudolphi Anatomiam universam et Physiologiam, Ill. Knappe Osteologiam, Splanchnologiam atque Medicinam forensem audiui. — In arte cadavera dissecandi Ill. Rudolphi et Ill. Knape praeceptores mihi fuerunt. — Interfui praelectionibus Cel. F. Hufeland de Pathologia et Therapia tam generali quam speciali nec non de Semiotice, Cel. Horn de Pathologia speciali et Perill. C. W. Hufeland de Therapia speciali. — Cel. Kluge Chirurgiae generalis, doctrinae de morbis ossium et artis Obstetriciae, Generos. de Siebold artis Obstetriciae, b. Mursinna cursus operationum chirurgicarum et artis fascias rite applicandi Ill. Graefe Chirurgiae specialis et Akiurgiae, Ill. Rust Akiurgiae praecepta percepi. — Exercitationibus clinicis tum medicis, tum chirurgicis Perill. C. W. Hufeland, Cel. Horn et Ill. Rust interfui.

Anno MDCCCXVIII nosocomium caritatis Berolinense adii, ubi per annum vices chirurgi exhibui; deinde chirurgi militaris suscepi munus, quo adhuc fungor.

Tentamine et examine rigoroso absoluto, spero fore, ut dissertatione hac mea publice defensa, Gratiiosa Facultas Medica summos in utraque medicina honores benevole in me conferat.

THÈSES DEFENDENDAE.

I.

Acupunctura promptis ac praestantioribus morborum auxiliis adnumeranda est.

II.

Circulatio sanguinis a solis cordis vasorumque viribus non pendet, sed a sanguinis etiam motu quodam intestino.

III.

Crusta sic dicta inflammatoria sanguinis non semper est signum pathognomonicum inflammationis.

IV.

Morbi mere topici non dantur.

EXPLICATIO TABULAE.

Fig. I. Malleolus ad acum Iaponum chirurgicam, quem ten Rhyne p. 183. repraesentat.

a. capitulum malleoli.

b. manubriolum, quod ad

c. sinu est excavatum, quo conditur acus.

d. annulus ad firmandam acum.

Fig. II. Acus, secundum ten Rhyne et E. Kaempfer.

a. manubrium cochleatum.

b. apex tenuissimus.

Fig. III. Malleolus, quem E. Kaempfer pag. 583. depictum habet.

a. malleolus, qui recipit ad

b. acum Fig. IIae.

Fig. IV. Acus, Fineri barri Iaponice dicta iuxta E. Kaempfer ib.

Fig. V. Acus, qua usus est Demours (Jour. univers. des sciences medic. Paris 1819. p. 107.)

a. manubriolum.

b. acus, longitudine tripollicari.

Fig. VI. Acus a Churchill (l. c. Fig. I.) depicta.

a. manubriolum eburneum.

b. acus.

Fig. I.




Fig. II.



Fig. III.




Fig. V.



Fig. IV.



Fig. VI.



